





1736.

1. Finscuis, Ioh. Nicolaus: Tractatus quinque liberarum  
in Hesia statu. Programma, quo ad ornatum  
festum natalem Rectoris, Henrici Landgravi, publica  
panegyri Ioh. Henr. Niemehuideri . . . invitat
2. Pustelius, Fridericus Ulrich: De differentia querelae  
insufficii testamenti et contradictionis ex l. 34. C.  
de iuris. festum. Programma, quo ad orationem publicam  
Ioh. Henr. Stielzii invitat.
3. Pustel, Fridericus Ulrich: De legato pacis gratia  
ad hystoriam missis ipsos faire gentium obiam tric  
literis commeatus usq[ue] pene port invictabilis.

1737.

1. Pustel, Fridericus Ulrich: De ammunione perpetua  
militi fodinarum inter constatus imperii durante,  
quatenus venae omnes in alterius redire-  
rint Territorium.

1738

1. Bierling, Henr. Pet. Em.: V. Comto Imperatore m[is]t[er]o.  
plus acerario magno.

1738

2. Walffordt, Paulus Phil: De intercessione  
vulneris pro mortuis marito

1740

1. Fruncius, Ioh. Melanus: Progymnas, quo et celebran-  
dum festum natalem Friderici, Hanno Land  
parisi invitat.

2. Middeldorf, Petrus: Cogitationes in jis Imaum  
ac Germanicum de fatis successoriis intestatae  
testemurias ac pacifitiae

1741

1. Pöhl, Frider. Merian: De voluntate ob absurum  
non tollendo.

1742.

1. Pöhl, Fridericus Merian: De causa applicacionis parae-  
nitiae: fidem frangenti filios frangatur eisdem.

1743.

1. Pöhl, Frider. Merian: De conscientia erroribus

1743

2. Postel, Fridericus Ulricus: De procuratoribus.

1744.

1. Fruecini, Ich. Nicolai: De legi Tributaria Lygia XII 4.  
Programma, quo ad festum  
~~hunc~~<sup>is</sup> natalium Friderici, Henrici (an) gravii iuritat.

1745

1. Wolffhardtus, Petrus Philippus: De locutione nos<sup>titular</sup> Gihen.  
Programma, quo et orationem publicam Jo. Friderici  
Schefferi iuritat

1746.

1. Bierling, Cns. Fr. S. Em.: De legione erronea  
Christianorum sub Marco Antonius philosopho.

2<sup>nd</sup> Postel, Fridericus Ulricus: De jure circa Peterarca  
2<sup>nd</sup> Saal

1647.

1. Fruecini, Ich. Nicolai: De Hercole missagete.  
Programma, quo et celebrandum festum metallum  
Iovis. Princeps iuritat.

10

Die ersten vier Seiten des Manuskripts sind durchgängig mit handschriftlichen Notizen überdeckt, die schwer lesbar sind. Die handschriftlichen Notizen scheinen eine Art Katalog oder Inventar zu sein, möglicherweise für eine Ausstellung. Sie enthalten Wörter wie 'Ausstellung', 'Vitrine', 'Fotos', 'Kunstwerke', 'Geschenk' und 'Ausstellungsort'. Einige Zeilen sind durchgestrichen oder überdeckt.









114  
AD ORNANDAM PANEGYRIN  
SERENISSIMI ET CELSISSIMI  
PRINCIPIS  
DOMINI  
**FRIDERICI**

2736, 1.  
HASSIAE LANDGRAVII PRINCIPIS HER-  
FELDIAE COMITIS CATTIMELIBOCI DECIAE ZIE-  
GENHAINAE NIDDAE SCHAVENBURGI ET  
HANOVIAE ETC. ETC.

540  
NATALEM XVII.

XIX. KAL. SEPTEMBRIS 1636  
IOH. HENR. RIEMENSCHNEIDER

MARBVRGENSIS  
QVAM DEVOTISSIMA GRATVLATIONE  
PROSECUTVRVS EST

DE  
ANTIQUISSIMO LITERARVM IN HASSIA  
STATV

PRAEFATVS  
ACADEMIAE RECTOREM MAGNIFICVM PROCERES  
CIVES LITERARVM FAVTORES OMNIVM ORDINVM HO-  
NORATISSIMOS

EA QVA DECECT HVMANITATE INVITAT  
IOH. NICOLAVS FVNCCIVS

ELOQ. HISTOR. ET POLIT. PROFESSOR.

RINTELII, IMPRESSIT IOH. GODOFR. ENAX, ACAD.TYP.





**D**am diu nostrates plerique, non sine oppro-  
brio suaque gentis insigni dedecore, ex il-  
lis TACITI de morib. Germ. c. 19. subob-  
scuris et abruptis vocibus, *literarum secreta*  
*viri pariter ac feminae ignorant*, cum reli-  
quos Germanos, tum Cattos, medium qui  
occuparunt regionem, nihil non modo signis, ad confer-  
vandam memoriam, prodere, sed ab omni etiam scientia-  
rum cognitione alienissimos fuisse, atque adeo summa re-  
rum omnium infacia, et notanda barbarie vitam, veluti pec-  
cata, quae ventri finxit obedientia, transegisse, non veri-  
ti sunt impio et vere barbaro mentiri ore. Faciunt nae intel-  
ligendo id genus hominum, ut nihil intelligent, et omni  
veritatis, imo et acquitatis, exuto amore, ipsam quoque  
patriam calumnientur suamque gentem. Vbinam, obsecro, id  
Tacitus innuit? Qui citato quidem loco non, *literas*, inquit,  
*ignorant omnes*: sed diserte, *literarum*, testatur, *secreta viros*  
*pariter ac feminas ignorare*. Quid ergo litterarum sibi volunt  
secreta? Si bonarum artium intelligi sublimiora studia, et  
a Romanis exasciatam dicendi rationem, aut quicquid ceteris  
gentibus adhuc satis videbatur esse abstrusum: eiusmodi  
nihil quidem, vel inter ipsos Romanos, feminas didicisse  
iuuat: ut frustra notarit Tacitus in Germanis, quod nec  
Romae viri cum feminis commune habent. At, inquires,  
omnino nihil scribere, aut literis confignare potuerunt. Id,  
quod probandum incumbit tibi. Sed videbimus contrari-  
um. Et minime gentium hoc Tacitus sibi persuadere po-  
tuit,

tuit, qui de secretis literarum loquitur: abusum ergo negat earum Germanis esse cum Romanis communem, de vero et simplici vsu parum solicitus. Scribendi quamcunque rationem quomodo literarum secreta nominaueris: cum nihil nobis secretum esse patientur; verum potius, ut ISIDORVS loquitur orig. I. 1. c. 3. indices sint rerum, signa verborum, quibus tanta vis est, vt dicta nobis etiam absentium sine voce loquantur. Reuelant ergo, quae alioqui secreta manarent. Contextus vero sermonis aperte satis demonstrat, quid sibi auctor velit: vt literarum secreta nihil aliud sint, quam literae secreto de rebus Venereis scriptae, *heimliche Liebes-Briefe*. De Germanorum castis moribus loquitur, et vtriusque sexus infuscato amore: cum illecebris quibuscumque caruerint, et secreto literis vtrinque pudicitiam ac Veneris furtu experiri neque viri, neque feminae consueverint. Alioqui nullus esset de literis dicendi locus. *Sepia*, inquit, *pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis coniuiorum irritationibus corruptae*. Literarum secreta viri pariter ac feminae ignorant. *Paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum poena praesens, et maritis permissa*, etc. Ita illos, vt fartam doceret matrimonii testam esse fidem, cum Romanis componit, quorum castitas facile periclitatur tot irritamentis malorum, impudicis spectaculis, lasciviorum coniuuiis, secreto literarum de amoribus vsu, adulteriorum frequentia et impunitate. De literis Romanorum amatoris, quae noster literarum vocat secreta, nemo dubitare potest, cui valde familiaria sunt OVIDII, CATULLI, TIBULLI, PROPERTII, et similium monumenta: quibus, qui perdite amant, clanculum student inuicem detegere animi secreta, et fugiunt lucem. Pari modo vt TACITVS annal. I. 13. c. 18. n. 3. etiam dixit, *crebracum amicis secreta babere*, vbi subaudienda sunt colloquia. Et Sostratus sacerdos, apud eundem histor. I. 2. c. 4. n. 3. *petito secreto futura aperit*. Adeone dixeris, quos inter commercia obtinent nulla literarum secreta: illos omnium literarum esse rudes: vt ne

signis quidem quibusdam suā animi sensa significare potuerint? Atqui CAESAR de bello Gallico primo, in castris Helvetiorum testatur, repertas fuisse tabulas, literis Graecis confectas, et ad ipsum perlatas, quibus nominatum ratio confecta illorum, qui domo exissent atque arma ferre possent; separatim quoque descripti pueri, senes, mulieresque. Nec ipse TACITVS Germ. c. 3. n. 4. diffitetur, aram a Germanis Vlxi consecratam, adiecto Laertae patris nomine, olim Asciburgi repertam: monumentaque, et tumulos Graecis literis inscriptos in Germaniae Rhaetiaeque confinio. Ipsos vero etiam charæteres, quibus Germanorum monumenta leguntur fuisse consignata, non Germanos a Graecis, sed Graecos a Germanis accepisse, constans illorum, alioqui laudum suarum buccinatorum, persuasio fuit. Galatas certe has literas vocarunt prisci, quas Graeciae referunt intulisse Cadmum, circiter sexaginta ante captam Troiam annos, pridem a Tuiscone, Germanorum principe antiquissimo, inventas. Confer. AVENTINVS annal. Boior. I. 1. p. m. 10. Hinc vna voce Grammatici omnes, cum Crates Graecus quaestione agitat, cur non *alpha alphatos* diceretur, respondere non dubitarunt: haec non sunt vocabula nostra, sed penitus barbara. vid. VARRO de lingua Lat. 1. 7. c. 36. Quod vt facilius intelligatur, atque suus veteri Germanicae literaturae constet honos: res ab ouo est repetenda, et sequentia probe consideranda sunt theoremat. 1) Omnium linguarum, literarum, artium et scientiarum fons et origo ab humana ratione, diuinitus ipsi Adamo primum concessa, in posteris vero simul omnibus deinde culta et propagata, procul dubio repetenda est. 2) Ratio experientia longiori et vsu iuuatur, vt temporis successu, nobilioribus alia super aliis inuenta exhibantur, ornentur, auætaque magis et magis perpoliantur. 3) Nihil fere simul inchoatum et perfectum esse potest: cum dies diem doceat, ac recens inventis aliquid facile addatur, quod e re esse, frequentior visus, et consuetudo, optima tot scientiarum magistra, suadet.

Nec

Nec immerito DIODORVS SICVLVS bibl. hist. I. I. c. 8. *Vsus, inquit, omnium magister fuit hominibus: qui animal ingeniosum, manibus, oratione, atque animi solertia, tanquam administris, ad omnia instructum cuiuslibet rei peritia, familiariter instruxit.* 4) Eruditionis humanae stupendum opus, non vnius aetatis, sed omnium inde ab orbe condito seculorum, et felicissimorum, quotquot fuere, ingeniorum constat fuisse negotio. 5) Plura plurium vident oculi, quam vnius viri vnuis oculorum sensus percipere potuit. Eadem vero omnes iuuat ratio, vt rebus pridem inuentis addere alias; vel priores emendare, ac variis modis in suos vsus conuertere queant. 6) Rationis et linguae est incomparabile vinculum: quibuscum et reliqua corporis sensusque humani organa quam amicissime conspirant. 7) Organorum admirandam structuram, cum sentiendi et eloquendi nunquam satis praedicanda facultate, et ipsa diuinae mentis aemula ratione, solus immortalis et omnipotens Deus ad imaginem suam efformatis hominibus dedit. 8) Rationem Deus, linguam, et alio aliquo modo animi sensus cum aliis communicandi consuetudinem, organorum beneficio, rationis vsus procreauit. Idemque literas, scientias et artes magis magisque politas in dies reddidit. 9) Ratio est infallibili, et humanae felicitatis clarissimam exhibit notam: quae non potest non artibus variis semet per vitam eiusque varia commoda prodere. 10) Lingua, rationis filia, omnino nullum elocutionis, vocum, syllabarum, elementorum agnoscit imperium, sed liberrime agit, ac temporis longiori successu, assiduo emendationis studio, aefatis, valetudinis, temperiei, ipsius aeris atque climatis mutatione, quamfacillime immutatur: ita quidem, vt varias primo dialectus admittere; tandem vero in alias atque alias linguas degenerare videatur. Nec tam barbara videtur esse gens aliqua, quae suis non gaudeat linguae et artium commodis. 11) Linguarum nulla sanctior alia, sed facilior esse potest, et populi felicitas non ex scientiis, sed earum vsu aestimanda. 12) Alio modo Ens

Entium et O. M. Deus alloquitur homines ; quam inuicem  
 sese homines ipsi . Nulla indiget lingua ; sed tamen omni-  
 bus omnium hominum linguis fuerit vsus : si quando ipsi il-  
 los , vt primos parentes , alloqui placuerit . 13) Ab exor-  
 dio rerum lingua fuit vna , quae primaeua vocatur , primo-  
 rum hominum propria , valde rudis et inculta , sufficiens ta-  
 men ad res quasunque creatas suis nominandas vocibus , et  
 animi sensus exprimendos . 14) Lingua haec temporum  
 longo interallo ita mutata est : vt alias quidem atque alias ,  
 aliarumque varias rursus procreauerit diale<sup>c</sup>tus : ipsa ve-  
 ro tot inflectionibus atque di<sup>c</sup>tionum varietati obnoxia pror-  
 fusa tandem evanuerit : nusquam hodie apparitura ; vtvt ra-  
 dices eius in omnibus omnino linguis superesse fateamur .  
 Fallitur autem , reuelatione diuina defititus , DIODORVS SICV-  
 LVS bibl. histor. I. I. c. 8. multas sibi simul fingens per or-  
 bem nationum origines , quod voce confusa et nihil signifi-  
 cante , pedetentim verba articulate pronunciando , elocu-  
 tionem tandem rerum omnium sibi notam fecerint . 15) Ex  
 migratione gentium deriuandae sunt , omnium orbis terra-  
 rum cum linguae , tum artes atque scientiae : vtvt in aliis  
 atque in aliis regionibus fuerint felicius cultae atque politae .  
 16) Oportet ergo , siquidem ab initio terra , non mari , proce-  
 derent homines , sua quaeſitum habitacula , Scytharum at-  
 que Celtarum gentem , quam et Teutonicam et Germani-  
 cam vocant , suam et linguam et artes , temporis longo vsu et  
 mortalium cura magis magisque perpoliendas , in Graeci-  
 am atque in Italiam , suis eo missis coloniis , inuexisse . Ne-  
 que adeo mirum cuiquam esse videbitur , istas Europae na-  
 tiones vicinas iisdem pene characteribus vti confueuisse :  
 cum et veterum Gothorum scriptura non abhoruerit a Grae-  
 ca ; et Dalmatae et Slauonicae literae non absimiles sint ma-  
 iusculis Graecis : eandemque elementorum formam Lan-  
 gobardici p[re]feferant libri : quod etiam MICHAELIS BEV-  
 THERI pater obseruauit in bibliotheca Vaticanae psalterio  
 Langobardicis literis scripto , quae magna ex parte maiu-  
 sculas

feulas literas Graecas referant. vid. eius in Tacit. Germ. comment. p. 126. Ecquis dixerit Cattos , sine literis , quae emolliunt mores , nec simunt esse feros , in ea reip. forma, secundum elogia ipsorum hostium, meliori semet tueri potuisse diu? Neque dicendi profecto sunt barbari : quorum, ut TACITVS loquitur Germ. c. 30. maior animi vigor ; multum , ut inter Germanos , rationis ac solertiae. Si quid e cultiori matheſeos vſu ad emolumētum reip. vergit : in Cattorum actionibus bellicis , velut militari quadam ſchola, cernere licet. Fuerunt Genti apta ad quoſcunq; ſuſtinendos labores nata corpora, et, quae belli perito duci eligenda, duriora , ſtricti artus, minax vulnus. Sed, vſu duce et ratione, Catti probe intellexerunt, armis ſimul atque confilio ; non vi tantum corporis, et quadam animi duritie, ſed ingeniū ſolertia quoque res procedere militares atque publicas. Ad viatoriam reportandam promtior fuit ſemper exercitata paucitas : cum rudis et indocta multitudine nunquam non videatur caedibus atque rapinis expoñi. Suo vero etiam exemplo pridem docuerunt Catti, priusquam incipias, conſulto ; et vbi consulueris, mature factō opus eſſe : nec tam arduum aut difficile quicquam, quod aſſidua meditatione non expeditum atque facillimum reddatur. Caſtrorum perſpice munitiones, et dixeris doctae ſolertiae et rationis eſſe opus. Ea pro militum et impedimentorum numero ita munire didicerunt, ne maior in paruis multitudine conſtipetur ; neue cogatur in latioribus , quam decet, extendi paucitas. Certe caſtrorum deſcriptio, vt fuerant interdum quadrata, interdum trigona, interdum ſemirotunda, vt loci poſtulabat conditio et neceſſitas, a diuina matheſi prouenisse dicendum. Portas foſſasque circumductas tueri aciem neque conglobare, neque laxare nimis , cunctando praevenire hoſtem, temporis ad utilitatem habere rationem , diſtincta operis diurni et nocturni obſeruare negotia, nihil certe aliud, quam ingeniosa disciplinae militaris exercitatio ſuadet. Longum foret , conſiderare omnia,

quae

quae TACITVS l. c. ad praedicanda Cattorum studia , stri-  
Etum recenset. Praeponere electos , audire praepositos , nosse or-  
dines , intelligere occasiones , differre impetus , disponere diem ,  
vallare noctem , fortunam inter dubia , virtutem inter certa nu-  
merare : quodque rariissimum , nec nisi ratione disciplinae con-  
cessum , plus reponere in duce , quam in exercitu , reliqua . Ut  
alios ad proelium ire videoas , Cattos ad bellum . Nec facile ,  
quod hodie faciunt illustrissimi duces , nisi victoriam bene  
exploratam haberent , manus conferere bello institue-  
bant : nec ad fortes magis et auspicia , quae dubiae sunt  
fortunae , quam ad recte ineunda confilia , solidumque a-  
nimi et exercitus robur suos intendebeant oculos . Tanta  
Cattorum virtus atque fortitudo fuit , ut ipsi Germaniae po-  
puli reliqui istis primas deferrent . Teneri certe et Vispe-  
tes dicere confuerunt : *se se unis Suevis* , quos Cattos  
esse vulgo inter omnes constat , concedere , quibus ne Dii qui-  
dem immortales pares esse possint . vid. IVL CAESAR de bello  
Gallico lib. 4. ab init . Tu vero , contra tot auctorum fidem ,  
has gentes dixeris fuisse barbaras , et omnium literarum ru-  
des ? Quam certe nefas ignominiae et summi dedecoris  
patriae inure maculam . Nihil nos quidem pseudo tri-  
buimus BEROSO , qui antiquitatum quinto , literis et legibus  
illustrem notat Germanorum Tuisconem , Celtarum Samo-  
then , et Celtiberorum Tubalem : nec ab re tamen ANNIVS ,  
Aristotelis et Senonis testimonio fretus , Iberos , Samotheos  
et Thuiscones , ante Graecos plusquam mille annis , patres  
literarum et philosophiae inuenitos esse iudicat : ac diserte  
ad Berosum de regibus Babyloniae p. 113 . Samobes , scri-  
bit , quoque cognomine Dis literas sagas dedit , quae Phoenices  
erant , a quibus Graeci suas formauerunt , quas principio Gala-  
tis et Maconibus tradiderunt Galli prisci . Nam ut auctor est  
Caesar in sexto comment. Galli a Dite , disciplinas nati , et  
iam usque ad sua tempora eas retinuerunt - - Igitur ante  
Cadnum fuere literae , philosophia , carmina , theologia , et le-  
ges , Hispanis , Gallis , Germanis et Italis , per nouissima et aetates .  
Con-

Confer. AVENTINVS annal. Boior. l. i. p. m. 10. Vsu quidem literarum Germani non potuerunt diu carere. Vel quomodo populorum tanta multitudo gubernari, aut recta societatis norma conseruari potuisset? Inficias certe ego non facile ierim, plurimos Germanorum, atqui in his Cattorum non paucos literarum, vt etiam florentissimis temporibus sunt nostris, omnino literarum fuisse rudes, et marte quam arte inclaruisse magis: imo scientiarum cognitionem non modo in ordinis plebeii, sed et principibus hominibus pere exiguum fuisse. Attamen sacerdotes, qui cum imperio fuerunt, quique publicarum actionum consignandarum curam gefserunt, certo literarum et characterum aliquo genere vii debuerunt. Druidae, Wittodii, Grauiones, id genus alii homines, dignitate et auctoritate principes, et publicae salutis custodes, a teneris populum praecipitis monitisque politicis, ethicis, et oeconomicis instituebant. Achum agere et iliada post Homerum scribere viderer, si, quod summe Reuerendus D. REIMANNVS hist. lit. l. 2. seCt. 1. a pag. 1. vsque ad pag. 103. eruditione et industria praefuit incomparabili, Germanorum de bonis artibus atque scientiis, cum variae eruditio[n]is theoreticae et practicae partibus singula vellem recensere merita: vtvt Tacitum alio fuerit interpretatus modo, cui literarum ignorantiam nonnisi de plebe largitur, minime vero gentium de viris eruditis, i. e. bardis et druidibus, sacerdotum et theologorum, aequae ac philosophorum et iudicum partes implere cupientibus. Atqui etiam vir ille doctus docet, aliud esse ignorare literas, aliud secreta literarum, h. e. mysteria literis, vt conchis vniōnes, contenta: ad quae pro temporum istorum ratione non facile admiserint plebem. Medicinam veterum Germanorum Lipsiae ante hos prope viginti annos M. IOH. GODOFR. HARENIVS dissertatione historico-philologica perlustrauit. Ad philosophiam quod attinet, ipse ARISTOTELES fatetur, eam a Cetarum Semnotheis initium cepisse, Galliamque i. e. veterem Germaniam, illi quae proxime adiacet, Graeciae fuisse

B


magistram.

magistrum. Quod pluribus eo libro demonstratum nūmus, qui de origine Latinae linguae scriptus est. Et teste DIODORO SICULO lib. 5. c. 31. philosophi apud eos sunt, et theologi (Dru- das ipsi vocant) quos eximio honore dignantur. Sunt etiam va- zes magnae apud illos existimationis, qui ab auspiciis et vidi- marum exitis de futuriis divinant, eisque plebs uniuersa morem gerit. In primis ubi de magni momenti rebus consultatio incidit, mirandum et incredibilem quandam ritum obseruant. Diui- nam posfin atque historiam coniungere studuerunt ita, vt altera ornaret alteram, utraque vero iuuenes ad praecella majorum facinora insigni aemulatione, per totam vitam ex- primenda, acriori quodam quasi stimulo adigeret. Testa- tur Germaniae cap. 2. n. 3. TACITVS: celebrant carminib- us antiquis (quod unum apud illos memoriae et annalium gen- nus est) Taifonem Deum, terra editum, et filium Mannum, originem gentis conditoresque. Idem annalium secundo ex- tremo scribit de Arminio: canisunque adhuc barbaras apud gentes. DIODORVS 1. 5. c. 31. Sunt apud hos carminum meli- corum poetae, quos Bardos nominant. Hi ad instrumenta ly- ris non dissimilia, aliorum laudes, aliorum vituperationes de- cantant. AMMIANVS 1. 15. Bardi fortia virorum illustriam facta, heroicis composta versibus, cum dulcibus lyrae modulis cantitarunt. Eaque ne credas veterum Germanorum car- mina, orali tantum traditione propagata, nec scriptio con- signata fuisse: ad Caroli M. vsque tempora, quod certe sine literis fieri non potuisse, peruenierunt: vt ipse EGIN- HARDO si credimus, haec barbara et antiquissima carmina, quibus veteranum regum actus et bella canebantur, scrip- ferit atque mandauerit memoriae. Non ergo tam barbari maiores nostri fuisse videntur, quin immortalitati, famae, ac rerum memoriae, suo more, monumentis consuluerint: quae si vestigiis et via, qua debent, accuratius inquiran- tur: AVENTINV annal. Boior. lib. 1. p. m. 17. nos ne hac quidem parte, aut Graecis, aut Romanis, cedere creditit. Neque adeo miror, ex nostratisibus esse, qui nullo auctore, aut pro-

probabiliter coniectura, veteribus Cattis, ut barbaros et stipites facerent istos, usum literarum abrogare non verentur: quam esse qui temporibus his politissimi Viri Principes, et eos, qui cum imperio sunt, negant literas recte amplecti, earundemque ministerio feliciter remp. capessere. Vere sapiens Alphonius Hispaniae Rex, bouis dixit esse vocem, non hominis, principi affirmantis non conuenire literas. Bouis quoque consilium legimus principi de bonarum artium studiis dictum, libro, qui inscribitur *recueil von allerhand collectaneis cent.* i. num. 63. *le bon sens et le naturel vaut mieux pour gouverner, que toutes les sciences; et les etudes ne font qu'embarrasser l'esprit des princes, et les rendent chagrin, inquiets et irresolus. Les retes les plus pleines ne sont pas les plus saines.* Non est, quod satis ubique commendata bonarum artium studia, contra maleuolorum insidias et fulmina bruta, defendamus. Multo vero magis gratulamur inuicem nobis, antiquum obtinere CATTORVM CELSISIMOS PRINCIPES, adeo quidem, ut iam tum suo tempore rhyanus hist. lib. 105. ad an. 1593. p.m. 503. literis egregie instrui Principes, Hassiacam familiam gentile propemodum habere, professus fuerit. Gratulamur inuicem nobis, iuuentutis Principem FRIDERICVM, qui spes altera patriae, et Paternarum virtutum ex ase Heres, ut bene praeparatus capesseret olim remp. ab ineunte aetate literis et elegantioribus quibusque scientiis imbutum, in academiis quam lubentissime doctorum perfui commercio, et Marburgensis Musis, inde iam a primo seculi anno, quandam veluti Apollinem praefuisse. Huius TANTI PRINCIPIS reddit natalis perendie decimus septimus: quem publica panegyri, ex ciuibus nostris, IOH. HENRICVS RIEMENSCHNEIDER, Marburgensis, quamdeuotissima gratulatione, in auditorio maiori, hora X. prosecuturus est. Adeste ergo, Vos obsecro, frequentes, Academiae Rector Magnifice, Proceres, Ciues, Hosplites, omnium ordinum Fautores honoratissimi, et natalem hunc exoptatissimum celebrare nobiscum instituite. Coniungite nobiscum, quod pietatis

pietatis munus est, pro incolumitate et felici studiorum successu et perenni gloria FRIDERICI, OPTIMI PRINCIPIS, calidissima suspiria faustosque applausus: ut hic tam laetus, tam auspicatus, tam salutaris rebus nostris candidior redeat semper candidiorque dies. Quod si vobis curae cordique est, Fautores et Amici, si vestra, quod facitis, sponte spem patriae suorumque delicium amatissimam, si huius rei aequitatem pariter ac necessitatem percipitis: interea hoc agite, et linguis fauete publicae laetitiae interpreti: dum alii, quod piis debent votis festo que natali, commissationibus impendunt, ac vetustissima consuetudine, thure meroque genio litant.

P. P. Rintelii pridie Idus Augus*t*i clo Io cc xxxvi.



**ULB Halle**  
006 576 761

3



VD18



14  
AD O  
SERENIS  
D  
**FRI**  
HASSIAE LA  
FELDIAE COM  
GENHAINAE  
NAT  
XIX. K  
IOH. HEN  
QVAMDEV  
ANTIQUISSI  
ACADEMIAE RE  
CIVES LITERAR  
EA QV  
IOH. N  
ELOQ.  
RINTELII, IM

N  
SSIMI  
2736, 1.

CI

HERS-  
CIAE ZIE-  
GI ET

II.  
EIDER

ONE

HASSIA

ROCERES  
JVM HO-

KOBLENZ  
IVS UNIVERS.  
ZVHALLE  
AD. TYP.



B.I.G.